Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

matris et renasci. Si propterea exheredamur, quia de
ancilla quis natus est, numquid tecum qui nati sunt de an
cillis redierint in uterum liberarum ut denuo nas
cerentur? Semen abrahe et ismahel est; ut pos
set abraham facere filium de ancilla, uxor
auctrix fuit. Natus est ex semine viri, non viro
sed solo placito uxoris. Numquid quia de ancilla
ideo exheredatus? Si propterea exheredatur quia
de ancilla natus est, nulli ancillarum filii ad
mitterentur ad hereditatem. Non quia ex ancilla
natus quis exheredatur, sed quia superbus natus super
bit in filium matris. Mater enim eius magis Sara
quam Agar. Illi uterus accommodatur, illi volun
tas accessit; non faceret Abraham quod Sara nol
let. Magis ergo ille filius Sare; sed quia superbus in fratrem
et superbus ludendo ludendum. quia de ludendo
quod ait Sara? Eice ancillam et filium eius; non enim
heres erit filius ancille cum filio meo ysaac.
Non ergo illum uiscera ancille eiecerunt foras, sed
ceruix seruilis. Et enim liber si superbus sit
seruus est, et quod peius est, male domine ipsius super
bie. Itaque fratres mei respondete homini non pos
se rursus nasci hominem; respondete se
curi, non posse rursum nasci hominem. Quid ergo item
fit. ludus est. Ismahel ludit; foras mittitur.
Animaduertit Sara ludentes ait scriptura et dixit
abrahe: Eice ancillam et filium eius. Displicu
it Sare lusus puerorum; aliquid nouum uidit
pueros ludere. Nonne optant hoc qui filios
habent, uidere ludentes filios suos? Vidit
illa et improbauit; nescio quid uidit in lusu.
Illusionem uidit in illo lusu. animaduertit

seruum superbum. iam displicuit ei. eiecit fo
ras. Nati ergo de ancillis ad hereditatem
mittuntur filii iacob. et natus de libera mittitur
foras esau. Nemo ergo presumat quia de bonis
nascitur. nemo presumat quia per sanctos bapti
zatur. Sed caueat ne non sit iacob sed esau.
Hec ergo fratres dixerim: quia melius est ab hominibus sua
querentibus et mundum diligentibus quos signifi
cat nomen ancille baptizari, et spiritualiter querere
hereditatem Christi, ut sit tamquam filius iacob de ancil
la, quam baptizatus per sanctos superbire, ut sit esau
mittendus foras, quamuis natus ex libera. Hec
fratres tenete. non uos palpamus. nulla spes uestra
in nobis sit. Nec uos blandimur nec nobis.
unusquisque sarcinam suam portet. Nostrum est dicere
ne male iudicemur. uestrum est audire et cor
de audire: ne exigatur quod damus. immo
quando exigitur. lucrum inueniatur non detrimentum.
Dicit dominus nichodemo et exponit ei. Amen
amen dico tibi. nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu.
non potest intrare in regnum dei. Tu inquit car
nalem generationem intelligis cum dicis. numquid
potest homo redire in uiscera matris sue.
Ex aqua et spiritu oportet ut nascatur propter reg
num dei. Si propter hereditatem patris hominis tempora
lem nascitur ex uisceribus matris carnalis. propter
hereditatem patris dei sempiternam nascatur ex
uisceribus ecclesie. Generat pater per uxorem filium pat
ri moriturus successurum. generat deus per ecclesiam
filios non successuros sed secum mansuros. Et
sequitur. Quod natum est de carne caro est. et quod na
tum est de spiritu spiritus est. Spiritualiter ergo nascimur. et